



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Guillelmi Postelli De Repvblica**

**Postel, Guillaume**

**Lvgdvni Batavorvm, 1635**

Cap. XI. De Decemviris præsidiibus, qui Græce πρόεδροι vocantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

*De Decemviris præsibus,  
qui Græce ἀγορεύου  
cantur.*

QUANVIS hi præsides in  
 quingentis viris à quibus le-  
 cti erant, debebant tradi veluti  
 una tractatione, tamen quia pri-  
 mum sum maiorem numerum  
 in magistratibus secutus, quod-  
 que hi sint longe celeberrimi, il-  
 lis particularem tractationem  
 servare visum est. Ex quingentis  
 ergo viris singulis 10. tribuum  
 quinquaginta sorte eligebantur,  
 & item ex illis sortito nostri  
 Decemviri, penes quos singil-  
 latim erat Reipub. summa com-  
 mittenda. Verum rogaret ali-  
 quis, quomodo sorte possit pro  
 dignitate eligi, quem ipsa com-  
 mendat virtus? Facile, ut visum  
 est

est in Veneris, constitutis primum sorte electoribus qui nominarent, demum nomina in urnas coniecta cum suffragiis extraherent pro sorte tribuum, in iuuenibus *ἐν τῷ ληξιαρχίῳ*, id est, in diario Reipub. ob nobilitatem adscribendis. Iam dixi, electis L. ex ipsis, item deligi decem suffragiis tacitis, & tabis. quæ res quum videatur maxime sortem habere, nullum virtuti aufert præmium, imo maxime secundum eam iudicat. Ex ipsis item decem selectis, septem tantum officium præsidis assequi poterant. Itaque inter illos Decemviros omnium suffragiis electos fors ducebatur, ne ulli fieret iniuria, dum tres relinquerentur. At quia is qui erat in magistratu, dicebatur *ἐπιστάτης*, atque *πρόεδρος*, præfectus & præses, omnes eo honoris vocabulo gaudebant. Id vero summo opere



rio, aut delegato tradit. Harpocration de epistatis hæc tradit, sententiam Isæi adversus Elpatoram adferens. Duo, inquit, sunt constituti Athenis epistatæ: unus quidem ex prytanibus sorte delectus, alter vero ex proedris, quorum quod sit officium, declarat Aristoteles in Atheniensium politia. vulgari vero vocis usu *ἐπιστάτης* dicitur cuicumque negotio præfectus, ut notat Hyperides. Librorum Aristotelis quos de hac Repub. scripserat, iactura, me incitavit, ut dixi in principio, ad hoc instaurandum argumentum. Verum ab epistatis ad proedros redeo. *ἐπίσταται*. *ἡ* unitatis vocabulo, tanquam totius politia Dux, & Princeps erat: multitudinis autem, is ordo qui cæteris præfideret magistratibus, præscribendo. quorum dignitas *ἐπίσταται* dicebatur. Demosthenes in oratione *ἡ* *ἐπίσταται*

ATHENIENSIVM. IIS  
maximam lucem adfert  
huic ordini : unde sententiam  
eius adferre visum est. Verba  
legis quam adfert, ita incipiunt,  
*ἐν τῷ νόμῳ ἀποφασίζω, ὅτι τὰς*  
*ἀρχαίας.* quæ verba appendenda  
curabo. Undecima primi men-  
sis die, postquam apud populum  
vota præco fecerit, in suffragium  
ad leges comprobandas eatur,  
primum scilicet illas, quæ ad se-  
natum pertinent, secundo quæ  
ad plebem, postremo loco ad  
pendendas, quæ à Noveravi-  
ris latæ sunt. Prima autem in suf-  
fragia coitio, sit eorum, quibus  
videntur probandæ, quæ ad con-  
siliium, senatumve faciunt. Alte-  
ra, illorum quibus improbandæ  
videbuntur. Hoc vero suffra-  
gium secundum legum præscri-  
ptum esto. Quod si continget  
quasdam ex his, quæ antea latæ  
sunt, abrogari, prytanes qui tunc  
sunt in officio, senatum de ea re

H 2 postre-

postrema comitiorum die habento. Proedri vero eius prytanæ de illis etiam sententiam dicunt. Primo quidem de his quæ ad Religionem, postea de nomothetis, quo ordine pro dignitate sedeant, demum unde nam possit ipsis nomothetis pecunia ad Reipub. munia suppeditari, sanciunt. Hos autem nomothetas ex eorum ordine qui in heliæa iuraverint, sunt. (de heliæa postea dicam) Quod si prytanes secundum legum præscriptum senatum non habuerint, pariter si proedri non retulerint secundum ius, & æquum, singuli prytanes mille drachmis mulctantur, quæ in ærarium Palladis consecrantur. si proedron aliquis, idem quadraginta drachmas deæ dato. Illorum autem accusatio apud Thesmothetas fiat, pariter si æri publico obnoxius in magistratu sit, cognoscunt.

cūnto. Hi vero Thesmothetæ sibi eo nomine delatos, criminifque convictos in carcerem concludunt. Quod si id facere neglexerint, infamiæ notam subeunt, consortioque Ariopagitico arcentor, veluti legum gubernationem negligentes. Antequam vero de suffragiis ferendis senatus habeatur, quicumque legem rogaturus est, illam pro eponymorum statuis proscribito, adscriptis omnibus quas latas cupit, ut pro legum propositarum numero, populus ipsis nomothetis tempus decernat ad leges examinandas. Qui vero novam legem rogar, is non tantum semel, sed quotidie pro eponymorum statuis eam exponat, donec habeatur senatus. Populus vero quinque viros ex omni Atheniensium numero eligit, qui legum patrociniū suscipiunt. Haftenus de lege: nunc



ex eodem authore atque eadem oratione iusiurandum Ἰλιασῶν est adscribendum, in quo etiam Græca ob tædium repetendi omittenda censui. Sententiam feram secundum legum, ac populi Atheniensis plebiscitorum, atque senatus quingentorum virorum præscriptum. Meo favore, aut suffragio, nec tyrannis, nec oligarchia in Rempub. recipietur. Nec si quis corrupto Atheniensium populo, aut statuat, aut velit contrarium, usquam in illius sententiam pedibus ibo. Tabulas novas, alienive aris recisionem, agri Attici, domorumve divisionem nunquam fieri permittam. Nullos exules revocabo, uti nec proscriptos: Ut ediverfo neminem qui civitatis iure utatur, contra leges, & Atheniensis populi decreta, senatusque quingentorum auctoritatem, usquam urbe eiici patiar,  
 nec

nec quemvis alium iniuria id facere permittam. Magistratum nullum constituam, ut possit ille qui rationes anteacti magistratus non reddiderit, fungi alio magistratu, sive ex Novemviris, sive qui sacris publicis functus sit, vel ex illis, qui cum novem principibus proedris fabis eliguntur, legatise, aut assessoribus fuerit. (erant primariae dignitatis hi omnes) Nec permittam bis in anno quenquam eundem magistratum gerere, nec duos in eodem anno. Nulla munera recipiam, fordesve iudicii causa sectabor, nec ipse, nec alius me conscio. Sum natus annos non minus triginta. Audiam accusatorem, & defensorem ex æquo, sine affectibus, & personarum ratione: illumque condemnabo quem merito causa cadere cognovero. Adiuro Iovem ipsum, Neptunum, Cererem, ut perniciem

120 • DE REPUBLICA  
ciem in meipsum, meamque fa-  
miliam immittant, si quid horum  
transgrediar. Hæc Demosthe-  
nes: in quibus maximum fuisse  
etiam ethnicis æquitatis stu-  
dium monstrat. Postquam sa-  
ris dignitas Decemvirorum, pa-  
riter & officii ratio est etiam ab  
eodem tradita, de comitiis ἡλια-  
σῶν nunc sum dicturus.

C A P. XII.

*De subdialibus Comitibus, quæ  
Græci ἡλιαίαν dicunt,*

**H**ΑΙΑΙΑ καὶ ἡλιασις, maxi-  
mum Athenis tribunal erat  
(inquit Harpocratio) in quo  
publica iudicia ultro, citroque  
causis agitatis tractabantur à  
mille, aut mille quingentis pri-  
mæ notæ civibus. quingenti ve-  
ro solebant uno in loco esse, mil-  
le, & quingenti in tribus. ἡλια-  
σῶν